STIMVLVS VERITATIS OMNIBVS IPSIVS VERITATIS AMICIS, DOCTORIBUS & magiſtris.

AD REVERENDISSIMVM PATREM Fratrem Nicolaum Rudolfi, totius Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum.

Proponente humili quodam eiuſdem Religionis Lectore.

Veritas Dei,



In injuſtitia detinetur, ad Roman. 1.

CVM LICENTIA.

Barchinonæ, apud Sebaſtianum Cormellas.

STIMVLVS VERITATIS OMNIBVS IESIVS VERITATIS AMICIS, DOCTOribus & magistris.

AD REVERENDISSIMVM PATREM
Fratrem [illegible] Ordinis Praedicatorum Generalem Magistrum.

Proponente humili quodam [illegible] Religionis Lectore.

Veritas Dei.



In iniustitia detenent, ad Roman. 1.

CVM LICENTIA.

Barchinone, apud Sebastianum Cormellas.

Reuerendiſsimo Patri noſtro Generali pro tractatus protectione & cenſura.

QVI niſi ſacri ordinis veritatis Generali Magiſtro, ſolertiſsimo, & peruigili paſtori in domo veritatis ſemper aperto, & in ſomni oculo iure optimo præſidenti, erat ſtimulus veritatis pro eius defenſione ſacrandus? cuius debebat aſſumere patrocinium, aut cuius ſe munire vmbraculis, tam arduum, & ſi breuiter ſcriptum pro defenſione veritatis aſſumptum? nō prodit in lucem licet mandetur prælo quouſque recipiat ſui protectoris cenſuram, quia D. Ambroſio docente *vnumquemq; fallunt ſua ſcripta, & authorem prætereunt; atq; vt filij etiam deformes delectant, ſic ſcriptores in decores ſermones ſui palpant.* Ne hoc mihi contingat infeliciter, humiliter præcor, & ſubmiſe rogo, vt lincei tanti capitis oculi hæc mea parua vocent in examen, ferant de ipſis iudicium, vt ſalubrem valeant expectare cenſuram. Qua munita in lucem prodeant, & oculis ſapientium ſe abſq; minanti periculo manifeſtent. Vale Reuerendiſsime pater, felix viue, vt pariter cum Domino in æternum fælicius viuas.

Lib. 6. Epiſt. 40. ad Sab.

AD REVERENDISSIMVM PATREM NOSTREM MAGISTRVM Generalem humilis depræcatio; pro defensione veritatis.

Cap. I.

EXVRGE Domine & iudica causam tuam memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab incipiētibus fiunt tota die, inclina aurem tuam ad præces nostras, quoniam surrexerunt vulpes quærentes de moliri vineam, cuius *tu torcular cal casti solus*, & ascensurus ad patrem eius curam, regimen, & administrationem, Petro tanquam capiti, & tuo vicario, eiusque successoribus instar triumphantis Ecclesiæ commisisti; exterminare eam nititur a per de sylua, & singularis ferus depascitur eam. Exurge Petre & pro pastorali cura præfata tibi (vt præfertur.) Diuinitus demandata intende in causam Dei, veritatis sanctorum Patrum, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris omnium Ecclesiarum, ac fidei magistræ, quam tu viuente Deo sanguine tuo consecrasti; contra quam sicut tu præmonere dignatus es, *insurgunt magistri mendaces*, introducentes doctrinas parum tutas fidelium animas exterminantes, ac sibi celerem interitum superducentes; quorum lingua ignis est inquietum malum plena veneno mortifero; *qui zelum amarum habentes*, & contentiones, in cordibus suis gloriantur, & mendaces sunt aduersus veritatem. Exurge tu quoque quæsumus Paule, qui eam tua doctrina ac pari martirio illuminasti, ac illustrasti. Iam insurgunt noui Porphyrij, qui sicut ille olim sanctos Apostolos iniuste momordit, ita hi nostri temporis, sanctos patres, & Doctores Catholicos, ac pios contra tuam doctrinam eos non obsecrando sed increpando mordere, lacerare, ac vbi causis suis diffidunt ad conuicia accedere non verentur; more errantium pertinaciter quorum, (vt inquit Hieronymus, *vltimum præsidium est cum conspiciant causas suas damnatum iri incipiant virus serpentis lingua diffundere, & cum seuictos conspiciant ad contumelias prosilire.* Nam licet *hæreses, & errores esse ad exercitationem fidelium tu dixeris oportere*; eas tamen ne incrementum accipiant, ne ve vulpeculæ coalescant in ipso ortu te intercedente, & adiuuante extingui necesse est. Exurgat omnis sanctorum, & reliqua vniuersalis Ecclesia, cuius vera sacrarum literarum interpretatione post habita quidam apud semetipsos sapientes scripturas easdem aliter, quam Spiritussanctus flagitet, proprio dumtaxat sensu, ambitionis, auræque popularis causa, teste Apostolo interpretantur: imo vero torquent, & adulterant, ita vt iuxta Hieronymum *iam nõ sit Euangelium Christi sed hominis.* Exurgat in quam præfata Ecclesia sancta Dei. Et vna cum Beatissimis Apostolis præfatis, apud Deũ omnipotentem intercedat vt purgatis ouium suarum erroribus, eliminatisque a fidelium finibus falsis doctrinis vniuersis, Ecclesiæ suæ sanctæ pacem & vnitatem cõseruare dignetur.

Marginal notes: *Ioan. 21.* — *2. Pet. 2.* — *Iacob 3.* — *1. Chor. 11.*

§. II.

Exurge denique reuerendisſime pater, magiſtrorum magiſter, ſapientium caput, fortitudo brachij Domini, ſacri Ordinis Prædicatorũ generalis præſul, qui in alta gubernationis ſpecula merito conſtitutus omnia conſpicis ſolerterque, & accurate errantia ad legitimum gregem reducere conaris. Exurge pro eadem cauſa Dei veritatis, & ſanctorum Patrum: ſuper intende aduerſus malignorum inſidias, vt ipſas diſsipare, ac aliis detegere queas, poſsiſque tuis ouibus oportunum præbere conſilium, congruum impertiri officium, neceſſariumque præſtare ſolatium: quod quidem optime facere valebis cum ſpiritualis diſciplinæ ſis imbutus magiſterio, virque virtutis, cuius eſt ex ſua examinatione cogi-
1. Cor. 2, tationum iudicare de alijs, nam teſte Apoſtolo, *Spiritualis homo omnia diiudicat, & ipſe à nemine iudicatur*, iudicat profecto recte ſi ſancte viuit, ſi ambulat in ſpiritu, ſi virtutes tenet habitu, & excercet actu; nam ſine virtutum experientia non valet præſul æſtimare virtutes, nec in regimine eſſe perfectus. Eſt enim virtus corona Pontificum, lucerna paſtorum, perfectionis ſpeculum, magiſterium religionis, terror dæmonum interitus vitiorum, ornamentum hominis, pediſſequa gratiæ, ſpiritualis theſaurus, & bonum animarum rectoribus per neceſſarium, hæc in veſtra reuerendisſima Paternitate Deus conſtituit tanquam in ſolertiſsimo duce militiæ veritatis, cuius eſt non dominari ſed regere, omneſque excubias ad ſui, ſuorumq; defenſionem adducere: quod demonſtrauit Dominus Moyſi quando erat in deſerto paſcens oues jetro cognati ſui Sacerdotis Madiã,
De Reg. prælat. cap. 17. poſtquam enim vidit ardentem, ſed non combuſtam rubum accedens ad illam, audiuit Dominum dicentem veni mittam te ad Pharaonem vt educas populum meum de AEgypto, *cernis ne* inquit Laur. Iuſt. *quod non ad dominandum populo ſed ad ducatum regiminis miſſus eſt Moyſis nec mirum, regere quippe charitatis eſt, dominari vero ſuperbiæ*. De ipſo quoque Domino noſtro Ieſu Chriſto qui princeps verus erat & Rex per Prophetam inquit Deus & *tu Bethlehem terra Iuda nequaquam eris minima in principibus Iuda ex te enim exiet, dux qui regat populũ meum Iſrael*, ſi enim opus eſt charitatis ducatum ouibus præbere, opus eſt iuſtitiæ ipſis defenſionem impendere, præcipue cum leo rugit, cum ingruit tempeſtas, cũ neceſsitas inſtat, cum periculum imminet manifeſtum, cum denique validum eſt conſertum aduerſus ſanctos Patres, & contra veritatẽ bellũ. Largum enim præconij veſtri poculũ multis iam propinantibus biuimus qui licet hauſtũ tãta ſuauitatis dulcedine mentium noſtrarũ interiora recreat vt dum mens interius iubilat lingua protinus in hanc vocem laudis erumpat *Gloria in excelcis Deo*. Cui
Lucæ 2. omnia ſemper congruit diſponere. Vere enim ipſe ſicut ſcriptum eſt mutat tempora, & transfert regna; vere quod per Profetam ſiuum multo ante prædixit
Deut. 4. nunc teſte mundo mirabiliter adimplebit, *Dominat; excelcus in Regno hominum*, lætetur ergo cælum & exultet terra & antiquum ſui iuris priuilegium ſe recepiſſe ſancta noſtra gratuletur religio, conterat, iam mille formę caput venenati ſerpentis, ceſſent in Sanctos calumnię, ceſſent tumentes fluctus in veritatem varijs
3. Reg. 5. fallatiarum imbribus æſtuantes. Nulla Giezi præſente prouidi Doctoris abſentia furtiua dona reportet aut victoriam occultam decantet. Iam columba reuertatur ad arcam & virentibus oliuæ foliis pacem nuntiet redditam terris; reparetur nunc aureum ſanctiſsimi patris noſtri Dominici ſæculum, & in ſacra prædi-
Gen. 8. catorum familia veſtra præſidente prudentia, in errores refloreat vigor, in falſas doctrinas ſæuitia, in calumniatores ſanctorum terror, & ſtrepitus audiantur ardorum. Reprimatur inimicorum veritatis audatia, euertantur cathedrę columbas vendentium numulariorum, nulla proternia, nulla inimicorum luceſcat pertinatia.

§. III.

§. III.

CONgregentur super montes Samarie, ideft Ecclefiæ aut Religionis feu ordinis veritatis veftræ fanctifsime familiæ fapientes vt videant infanias multas in medio eius, & calumniam patientibus in penetrabilibus eius. Si congregati fuerint & diligenti ex animo omnia velint difquirere videbunt infanias doctrinarum quibus auena laxata elongatoque freno licentia peccandi longũ arripit iter. Videbunt calumnias, quas fancti patres, & veritas patiuntur â domefticis, & occultis inimicis: manifeftentur ergo quæ in medium contra veritatem ouicula pelle proferuntur vt zælum pro veritate pugnantium approuetur. Omnes tacent non eft qui in arenam pro veritate defcendat, nullus pro ipfa affumit arma, finguli propria tractant negotia & vnufquifq; pro fua laborat comoditate & falute, intendens prælaturæ aut magifterij tantum afcendere culmen ita vt pofsimus dicere cum Apoftolo (proh dolor) *omnes quæ fua funt quærunt non quæ Iefu Chrifti.* Vos vero infignis dux exercitus omnium debetis curam gerere perluftrare caftra, excubias ergo inftituite mittite exploratores qui infanias contra veritatem & fanctos patres recognofcant prolatas, ipfas annuntient, atque manifeftent. Ad imperium veftrum moueantur fapientium & magiftrorum veftri ordinis caftra, geratur pro veritatis & fanctorum defenfione certamen; hortamini trepidos vrgeatis pigros robuftos afcendatis, retrogredientes impellatis, de ordinatos ordinetis, & compugnantibus defiderio & ad hortationibus pariter & vos fæliciter decertare non dedignemini, tempus enim inftat, & hoc expofcit necefsitas.

2. *Ad Timot.* 3.

§. IIII.

VObifcum erit Dominus qui pro fe pugnantibus adeft, fanctifsimi Apoftoli Petrus, & Paulus, fanctique Doctores duces habebitis præliantes quia cũ pro ipfis conferatur prælium ipfi erunt pro veftro, imo pro fuo exercitu decertantes quod fecit Dominus cum Nehemia quando muros Hierufalem & eorum rupturas reædificare tentauit, oppugnantibus Sanaballat & Tobia Ammonite, vt facer exponit textus. *Et factum eft die illa media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media pars parata erat ad bellum, & lanceæ, & fcuta, & arcus, & loricæ, & principes poft eos, in omni domo Iuda edificantium in muro, & portantium onera & imponentium vna manu faciebat opus & altera tenebat gladium, ædificantium enim vnufquifque gladio erat accinctus renes, & edificabant, & clangebant buccina iuxta me.* Notat hic Beda in gloffa quod non folum media pars iuuenum faciebat opus & pars media erat parata ad bellum fed & eidem iuuenes qui faciebant opus gladio erant acincti quia tanta eft verfutia hoftis antiqui, tantus eft furor malitiæ eius contra Ecclefiam vt non folum prædicatores veritatis fed ipfe populus Dei debeat cõtra vigilare, & femper ftare in acie. Aedificãtes enim, gladio accinguntur renes, cum hi qui præfunt bonis operibus infiftere vel fibi commifos curant regulari ratione difponere, hoc enim eft viuos lapides in ædificio fanctæ ciuitatis competenter locare; qui veritatis, & fanctorum pertinaces hoftes acumine verbi Dei fanctæque ac probatæ doctrinæ fatagunt fortiter reftringere. Duo tamen fingulariter occurrunt in hac ædificatione notanda opus ædificantes vna manu faciebant opus & altera tenebant gladium ædificabant & clangebant buccina. Quia magiftri fapientes vna manu fcilicet operatione, exemplo, & virtute debent rupturas ædificare murorum altera tenere gladium doctrinæ Ecclefiam defendendo, pro veritate certando, ne vulpes muros tranfilire pofsint, & Ecclefiam deturpare valeant. Clangebant buccina & ædificabant fimul vtrumq; operabatur minifterium, quia duces Ecclefiæ debent in ipfa ædificatione clamare

Efter. 2. *capit.* 4.

vt

vt hostes vocibus veritatis terreantur, sciant que non dormitare, nec dormire qui custodiunt Israel, *Opus enim hoc grande est & latum vt dixit Nohemias ad optimates & magistratus, & ad reliquam partem vulgi, & nos separati sumus in numero, procul alter ab altero. In loco quocumque audieritis clangorem tubæ illuc concurrite ad nos, Deus noster pugnabit pro nobis, & nos ipsi faciamus opus.* Nunc ad propositum sancti Patres sunt muri Ecclesiæ seu Israel in hos rupturas facere vafri inimici veritatis tentauere, varias in ipsos molientes insanias opponentes calumnias falsas,& extortas diseminãdo doctrinas. Has ruptutas reædificare oportet opus est grande & duces veritatis per orbem sparsi, & separati clangat ergo buccina uestra pietas, vestra solertia vt concurrant omnes ad locum vbi audierint clangorem tubæ, & media pars sapientum teneat lanceas ab ascensu auroræ donec egrediantur astra detegent ea tenebras & noctem dissipãtia obscurã. Deus enim pugnabit pro nobis & nos ipsi faciemus opus. Nec licebit ab armis cessare quando thomisticæ doctrinæ, sanctorum patrum,& veritatis decor, multis calamitatibus atque præssuris quæ sibi à peruersis hominibus inferuntur non sine magna tribulatione spreto mundi fallacis auxilio solum vestræ pietatis ac Prædicatorum Religionis remedium petit, sancti patres & veritas ad vestra accedunt limina ad ipsa corruunt & tanquam ad tutissimi portus sinnum de multis procellis fluctiua gi maris, scopulis, atq; turbinibus sub sacri veritatis ordinis conuolant vmbraculum vt qui per diuini muneris priuilegium omnibus in tribulatione succurrit, veritatem quoque materna pietate suscipiat & eius pulchritudinem ac honorem à violenta iniquorum doctorum peruasione defendat.

Cap. II. De ordine seruando a generali sapientium duce pro consequanda in laudem veritatis victoria.

§. I.

SIGNA dat ad victoriam generalis ducis peritia tropheum parant qui prælíandi recta ac ordinata ducuntur arte. Qui præsunt populis & regni solium tenent quoties pro adipiscendis prouincijs seu pro recuperandis vrbibus, iam amissis bella cõmouere disponunt, præcones consueuerunt circumquaq; dirigere stipẽdia larga tribuere & ampliora dona promitttere; quatenus militum ad se trahant cateruas vt congregato exercitu meditata valeant in ire certamina. Sicq; Dominum nouimus egisse Christum cum ad redimendum captiuum hominem contra aereas potestates mundi huius campum pugnaturus intrauit; se quippe ad concitandum bellum venisse indicauit dicens, *noli putare quod pacem venerim mittere in terram sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem & filium aduersus matrem & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Propterea ad roborandum militum animos, vt in prælio fortes, & in subdendis hostibus essent fideles, missa prius per totum orbem Apostolica legatione pugnaturis plurima erogauit auri argentique talenta, virtutes scilicet ac charitatem, potestatem calcandi super serpentes ac plura multo spopondit, dumtaxat in agone sibi proposito decertarent. Neminem repellit, neminem quamuis debilẽ vel pauperem claudum, vel cæcum respuit pugnare volentem. Singulis iuxta eorum qualitates,& virtutes præbet stipendia officia impartitur, ac dona promittit. Nullius personam discernit, nullius dignitatem præponit; sed tantum pensat merita vota remunerat & mentis prouitatem attollit. Denique vnicuiq; iniungit gradus negotiaq; disponit; quatenus scire quisq; valeat, quid acipiat, quidue agere debeat non ignoret. Nouit equidem probatissimus nostræ militiæ ductor quod nihil sic nocet exercitui prælianti illumq; conuertit in fugam sicut

Mat. 10.

de

de ordinatum aciei habere congressum. Nam quemadmodum ordinem dimicandi vt plurimum victoria sequitur, ita cōfusionem parit inordinata progressio. Ducis nostri in designando exercitu vultis audire peritiam? Apostolum referentem auscultate, *qui descendit inquit ipse est, & qui ascendit super omnes cælos vt impleret omnia & ipse dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autem Prophetas; alios vero Euangelistas; alios autem pastores & Doctores ad consumationem sanctorum in opus ministerij. In ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei; in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Nō abs re igitur Dominus dicitur exercituum cum tam ordinatissima sapientiæ lege, & Angelorum ministeria in cælo & officia hominum dispenset in terra, vt nihil in ipsius exercitu cōfusum appareat. Verum si quid in illo indecorum seu incompositum est non ex imperantis imperitia, sed ex inobedientium progreditur vitio. Qui enim creaturarum vniuersitati legem indixit, potuit, & homini absq; alicuius redargutione defectus. Sed ex præuaricatione hominis naturalis ordinis pulchritudo deperijt: vt exigente iustitia rebellionem sentiret in imis, qui Dei sui noluit obtemperare mandatis, disponit igitur spirituale certamen exercitui electorum illiq; propria singulis spiritualia officia, diuidit, ita vt nemo sit, qui non aliqualiter sublimetur. Sicut officia peculiaria communicat, sic etiam specialia dona concedit, tanquam Catholicæ Religionis præclara stipendia, quatenus eorum sufragio prouecti consumatæ victoriæ queant celebrare triumphum. Ephes.4.

§. II.

PORRO ad vtilitatem spiritualium gratiarum stipendia donat, vt pugnantium quisq; habeat vnde principem sæculi debellare sufficiat, hæc qualia sint Apostolus manifestans inquit: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alij operatio virtutum. alij Prophetia, alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum, hæc omnia operatur vnus atq; idem spiritus singulis militum diuidens prout vult*, diuidit plane singulis vt dimicent, vincant, coronentur & regnent. Qualiter proprio munere sanctorum quilibet ordo pugnauerit, mentis consideratione noscamus. Nempæ Apostolorum chorus ex infuso sibi sapientiæ & scientiæ dono mundum vniuersum sanitatum gratiā cooperante iugo Christi subigere potuerunt, loquebantur magnalia Dei gustu sapientiæ inebriati scripturarum sacramenta reserabant scientiæ claue, quibus nemo mortalium resistere valebat, reuelata veritate illis testimonium perhibente, & sequētibus signis. Quod enim voce veridica prædicabant miraculorum authoritate roborabant hinc factum est vt *in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; constituti sunt igitur principes super omnem terram, quoniam cunctarum gentium nationes ad Christi obedientiam perducere meruerunt. Quid vero de martyribus loquar? nonne per fidei donum, quod specialiter perceperunt, *vicerunt regna? adepti sunt repromisiones? an non obturauerunt ora leonum? extinxerent impetum ignis. Fugauerunt aciem gladij? fortes facti sunt in bello? castraq; verterunt exterorū?* quo modo tantam stragem inimicorum egerunt? num corporis fortitudine id potuerunt? minime. Fide certauerunt fideq; vicerunt. Nā ludibria, & verbera experti sunt, insuper vincula & carceres lapidati sunt, secti sunt tentati sunt in occisione gladij mortui sunt ipsa prorsus corporis morte interueniente aduersarios superantes ad fidem quam confitebantur innumeros perduxere. Extiterunt præterea alij propugnatores eximij ad defensionem Christianæ religionis diuinitus ordinati: sancti videlicet doctores, & venerabiles patres, qui operatione virtutum & generibus linguarum, atq; interpretatione sermonum sublimiter decorati, hæreticorum erroribus Ecclesiam mundauerunt: ij plane præfatis Psal.18. Heb. 11.

charismatibus insigniti, librorum multa volumina complentes, callem veritatis, morum prouitatem, & viam vitæ hominibus insinuare studuerunt. In Ecclesiæ quippe firmamento velut luminaria cælestia verbum vitæ in se continentia fulgentes exemplo, & doctrina sua maximam populorum multitudinem à varijs erroribus liberantes vnitati agregauerunt fidelium. Postremo robustissimus anachoretarum missus est numerus, qui sæculi blandimenta calcantes, eremi deserta penetrauerunt. Discretionis namq; spirituum armati dono & singularem pugnam cum principibus tenebrarum habere curauerunt. Superabant insuper animi passiones carnis edomabant illecebras, spirituales fraudes detegebant: non propriam sed æterni Regis gloriam quæritantes incumbentes, quippe orationi, vigilijs insistentes, præcibus ac gemitibus cælum pulsantes, se pro muro fidelibus opponebant, arcebantq; aereas potestates ne tentationibus suis humanum auerterent sensum, mactarent & perderent. Rex itaq; noster Christus prænominatorum militum congregato exercitu aduersus Principes, & potestates mundi contra rectores tenebrarum harum, acies suas dirigens ligauit, illos, & omnium munitionum, quas possidebat diuisit spolia, abstulit regnum cepit ciuitates, turresq; subuertit: vinctos quos tenebant restituit libertati atq; ignem copiosissimum circumquaq; diseminans, terrena succendit habitacula. *Factus est*
Esai. 9. *igitur principatus super humerum eius & vocatur Deus fortis Princeps pacis & pater futuri sæculi.*

§. III.

CAEpit autem regnare super duo regna videlicet super montes Israelitarum, & super colles peregrinantiũ, quos acquisiuit dextera eius, meritoque non solum vocatus est Deus fortis, & potens, Dominus potens in prælio, verum etiam Dominus virtutum & pater gloriæ, illi namq; omnis victoriæ ascribitur laus, quoniam ipse prior pugnauit, & vicit pro omnibus atq; in omnibus ipse certabat, quomodo non certabat in omnibus sine quo poterant, nihil. Audi strenuum militem confitentem: *Non possumus inquit cogitare aliquid ex nobis sed suffi-*
Ad Philip. 4. *cientia nostra ex Deo est alibi*, que de se ait; *scio esurire, scio abundare & penuriam pati, omnia possum in eo qui me confortat.* Confortat vtiq; verbo, confortat exemplo, confortat donis cælestibus, etiam confortat promissis. Prorsus deficerent in prælio si non exortarentur verbis, prouocarentur exemplis, roborarentur donis nutrirenturq; promissis. Nouit ipse dux militum imbecillitatem laboremq; certaminis, propterea eos sustentat donis, & pascit promissis. Hinc dilectione fertuidi, deuotione saginati, beatitudinisq; expectatione exhilarati ferrum non timent, castra non metuunt, præsentia damna non sentiunt, æternorum præmiorũ eledelectatione succensi. Eorum siquidem suauitate gustata affectus incalescit, eleuatur mens, spiritus exultat in Deo salutari suo. Cupit sane qui percipit illud aprehendere quod videt, illuc inter esse quo trahitur, id semper habere, quo gaudet, oculo namq; fidei contemplatur ex parte, & in ænigmate Regis Christi potentiam, regni magnificentiam, regnantium gloriam, ciuitatis illius opulentiam, festiuam lætitiam, communem gratiã iucunditatemq; perpetuam. Virum enim mutatus in alterum propter super eminentem maiestatis Dei agnitam claritatem in vocem exultationis prorumpens ait, *quam dilecta tabernacula tuu Domine: Virtutum? concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Concupiscit inquam ibi esse vbi Angelorum & Arcangelorum gaudent chori: vbi virtutum & potestatuum exultant spiritus; vbi Principatus & Dominationes diuinæ intẽdunt visioni; vbi Tronorum Cherubinum & Seraphini, sancta agmina Deo omnipotenti suauissimum laudis exsolbunt sacrificium; vbi gloriosorum militum animæ Angelicis admixta spiritibus, pari voto, consona modulatione, cælestia promunt cantica ante thronũ Dei, & ante sedem agni gratias semper agentes ei, qui illos in

in admirabile lumen claritatis suæ introire concessit, delectabiliter quantum valent laudant & laudandi ardescunt desiderio deficit procul dubio à se ipso quisquis per contemplationem cætibus admittitur beatorum, & admirans ait *quando veniam ego & apparebo ante faciem Dei magno* prorsus affectus desiderio clamant omnia interiora quando veniam? non potest non concupiscere cum agnoscit summum quod beatum est gemit se esse vbi est & amando deficit se non esse, vt ad sit suspirat. Cupit dissolui & esse cum Christo eo ardentius, quo clarius, eo fortius, quo sæpius, eo dulcius, quo purius. Sic namq; affectus amoris obortim lacrymas fundit: effundit cor, infundens se in eum quem diligit & videre concupiscit; quantus tunc ibi fit gemitus, quam alta suspiria, quale incendiũ quot charitatis ingeminatæ sonant voces, nemo nouit nisi qui accipit, nemo accipit nisi qui viriliter pugnat, humiliter orat, & infatigabiliter perseuerat; hic solus (quamuis innumeri currant) accipit brauium in cælo victoribus repromissum. Primum ac potentissimum ducem Christum Dominum insequi necesse est eius formam seruare: in certamine ordinem: in dispositione peritiã. Vt possit cõsequi de aduersarijs triumphus. Si milites enim non animantur ad pugnam si discernuntur personæ, si merita non pensantur, si non remunerantur vota, si mentis probitas nõ attollitur. Quis assumet arma, quis militares poterit exantlare labores si donatiua non pro meritis, sed pro voluntatis arbitrio diuiduntur, quomodo fortis stabit in acie? quomodo pugnabit in prælio? ordinetur ergo congressus vigeat charitas, eniteat iustitia, elucescat veritatis amor & si dux fuerit ad imitationem Christi, ad eius erit imitationem victoria. Iam dux summe religionis veritatis pater, ac præsul sapientium, obcæsa est veritatis ciuitas eius tentat inimicus superare mænia muros disrumpere, turresq; solo æquare. Contra sanctos patres suam vibrat astam, machinas & arietes mouet, aduersus veritatẽ strepitus cõgerit armorum aperte, & oculte machinas tentat, insidias parat. Bellum nunc pro veritatis vrbe defendenda commouere est necesse. Præcones sapiẽtes circumquaq; dirigite vestris larga tribuite benignitatis stipendia, ampliora æterni præmij in nomine supremi ducis Iesu Christi dona promitite, quatenus sapientium militum ad vos trahatis cateruas, vt validissimo congregato exercitu meditata valeatis in ire certamina. Roboramini militum animos vt in prælio fortes & in subdendis hostibus sint fideles ad vestros magistros & sapiẽtes (plures enim sunt) legationes mitite, pugnæ proponite causam, vt in agone sibi proposito viriliter valeant decertare, nullum repellatis sapientem, cuiuscumq, pensate merita discernite vota probitatem attollite; vnicuiq; iniungatis gradus, vt negotia iuxta vniuscuiusq; vires, ac qualitates disponere valeatis. Quia nihil sic nocet exercitui præljanti, illumq; conuertit in fugam sicut de ordinatum aciei habere congressum nam quemadmodum ordinem dimicandi vt plurimum victoria sequitur ita confusionem parit inordinata progresio sic enim Dominus pro exercitu vestro astabit pugnabitis fortiter & vincetis feliciter. Psal. 41.

§. IIII.

FEruet equidem demonis astutia opus vt præcedenti manu scripto videre est &in alijs quæ ad nostras non peruenere manus. In sanctos patres calumniæ, & in ipsos Doctores falsa & infelicia moliuntur crimina quæ nimirũ si talium authores hoc simplex prout sibi viderentur exprimerent stulti, vel hebetes merito dicerentur; sed nonnulli taliter id procaciter adstruunt,&quibusdam cauillationum argumentorumq, versutijs viuaciter allegare contendunt; falsa quædam sanctis patribus in damnum veritatis imponunt. Ideo supprimendi sunt ne eorum peruicax obstinatio maiora moliatur crimina, & sanctis patribus noua adscribant innata cauillatione mendatia. Eluctare ergo excetram omnibus no-

cen-

centissimam ex serpentino malignitatis fraudulentiæ genimine ennatam & ex semine colubrino egredientes regulos, & ex aspidis surdæ, ouis obturatæ auris & obturati pectoris erumpentes septicipites, & decacorneos dracones, seu mauis dicere pseudo politicos & Atheos vt in trophæum ducas & ex prophetico vaticinio *super aspidem & basilisticum ambulabis & conculcabis leonem & draconē* serpentis veterati omnis caput multiplex extremo calcaneo conteres. Vt coluber non occurrat in via & serastes descedat à semita: hinc omnium difficillima pugnata pugna Sathanam sub pedibus tuis postratum detruncabis. Hæc omnia decora tuo reuerēdissime pater fastigio maxima qua possum deuoti animi submisione propono lætus dico & humilis consecro. Iure merito quod te generalem magistrum sanctissimi patris nostri Dominici designatione hæredem feliciter recognoscam, non tuorum prædecesorum tantum delineamentis obumbratum sed & longe amplioribus ornamentis felicem: illas atot generalibus magistris curas fæliciter curatas, vnum solum curasse in præsenti causa nostra sacra suscipiat Religio, & ad æternitatem deniq; perseros diuitur nosq; soles curare. Orbis vniuersus quem virtutibus augustissimis illustras, recreas, & ornas, hoc vna mecum exoptat. Tibi igitur reuerendissime pater, has laborum meorum tenues primitias (ob temporis necessitatem instantem maximamq; minantem veritatis deuastationem) offero. Tibi inquam sanctissimi Patris nostri Dominici vero succesori & veluti ipsi viuenti grati animi consecro monumentum. Et perinde ac olim Iacob vt à patre primam benedictionem posset facilius pro mereri Rebecæ matris Concilio & industria egrege sumptum cibum illi paratum attulit; ita pariter ego non e saltibus in vijs locisq; siluestribus, pijs omnibus in accesis, sed acceptum ex ouili Dominico ex sanctorum patribus sacræq; scripturæ sententijs quibus potissimum certum est tuam pietatem libentissime vesci edulium offero (scripta quippe in cibum etiā diuinitus impartiri solita diuinæ scripturæ monstrant exempla dicente Domino Prophetæ *comede volumen istud*) appositeq; verba illius vsurpans quem imitandum suscepi dicam tua fretus humanitate confidenter. *SVRGE PATER ET COMEDE DE VENATIONE MEA VT BENEDICAT MIHI ANIMA TVA.* Primam inquam illam Reuerendissime pater benedictionem expecto qua æterna semperque manens hæreditas impartitur, quam fidelibus omnibus suisq; præcipue filijs sanctissimus noster Patriarcha exoptat nimirum vt cæleste hæreditatem benedictione possideant. Cuius virtute pariter, mihi his maiora connanti diuinus fauor aspiret. Vale Reuerendissime pater parce & ignosce foue & defende ita Deus te incolumen seruet vt ad magna quæ tam breui genere latus tui spatio egisti; maiora addas, & præclara multa quæ inchoasti, quæq; semper moliris, ac meditaris ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, munimentum fidei, veritatis firmitatem, sacræq; Religionis nostræ augmentum fælicissime absoluas.

AD DOCTORES, & amicos veritatis exhortatio pro eiusdem veritatis defensione.

Caput I.

Quod periclitante veritatis cognitione tenentur Doctores veritatis arma assumere & vsq; ad falsitatis destructionem non cessare nec instrumenta prælij deponere.

§. I.

POPVLO Israel quondam vnice electo maxima propter eius Scelera calamitate minante instanteq; afflictione alloquitur Profeta Amos, *leo rugiet quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non profetabit auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ AEgypti, & dicite congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius, & calumniam patientibus in penetrabilibus eius.* Iam diu magnus Dominus; & terribilis nimis iræ suæ furorẽ in varia Christianorum regna cæpit effundere; nam annis elapsis in populos, & ciuitates velgas irruerunt hæretici, fraudulenterq; ipsas subiungarunt. Seditionibus conturbati sunt populi, & inclinata sunt regna. Hæretici quotidie insidiãtur nobis quasi leo in speculnea sua. Interdũ vidimus esuriẽtes ac sitiẽtes ciuitates & populos ac frugum inopia laborãtes, mortẽ grassantẽ inspeximus, transeuntẽ de gente in gentem, & de regno ad populũ alterũ, vt magno nostro cum dolore faciem eorum iam prope deformatam, & facta ea esse loca horroris, & vastæ solitudinis, audiamus. Sed nunc immaniora minantur bella, oriuntur damna instant calamitates; periclitatur veritas, intra proprias ædes prælium ipsi inferre occultum, ali qui tentant, leo rugit quis non timebit. Leo iste rugiens est Dominus terrens Prophetam ne tacere audeat aut prophetare diferat. Iubetur vt anuntiet Azoto & terræ AEgypti quæ sequntur: *dicite inquit vt congregentur qui in vicino sunt & videant scelera Israel, ne iniquum, putent esse iudicium,* ac si dicat prius videte quæ faciunt, & tunc meã cõprobate sententiã. Manifestentur prius quæ in medium cõtra veritatem ouicula pelle proferuntur, vt zelus pro veritate pugnatium ab omnibus approbetur; prius enim debent manifestari scelera, vt rectum iudicium ab omnibus feratur, de prolata sententia. Hanc solicitudinem Moysesse habere ostendebat, quando irato Domino propter vitulum ab Aaron conflatum dicẽte, *dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos faciamq; te ingentem magnam. Stans ergo Moyses in confractione, idest in nimia cordis humilitate, in conspectu eius orabat dicens; ne quæso dicant AEgyptij callide eduxit eos, vt interficeret in montibus & deleret de terra. Quiescat ira tua; esto placabilis super nequitia populi tui.* Tunc Dominus ab ira; & indignatione quieuit quia vt videbatur amico Moysi, nõ expediebat diuino honori, Israelitas delere ne tale quid AEgyptij loquerẽtur, cũ nondũ innotuerant illis causæ propter quas iustus Dominus iuste deberet contra populum suum irasci. Sed nunc per Amos vult, vt insaniæ Israelitarum quas faciunt innotescant AEgyptijs & Azoto videant magnitudinem insaniæ, imo multas insanias in medio Samariæ, vt cognita nequitia adorationis vituli & immolationũ filiorum, & filiarum suarum dæmonijs, apertis, quæ faciunt in penetrabilibus

Amos cap. 3.

Rup.

Exod. 32.

suis tanquam. Calumniosi iniusti vt rectum facerent nesciant omnemq; rectitudinem ac iustitiam viribus reprobare contendant; Dei minantis sentẽtia approbetur & leonis rugientis supplicium iustum, & æquum etiam ab ipsis Dei inimicis habeatur.

§. II.

NVnc ergo Doctores Catholici magistri veritatis, patres doctrinæ sanctæ, culteres morum, defensores fidei, Ecclesiæ columnę, cæli Atlantes montes sæculi, Gigantes sub aquis gementes, & semper in aquis doctrinæ, & sapientiæ laborantes; leo rugit, Dominus loquitur, ne à prophetando cessetis. Nunquid
Eccles. 32. rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? leonis quipe natura est quandiu prædam non inuenit silere, inuenta autem præda rugire, vt quodcumq; inueniatur animal rugitu tremefactum, & attonitum concidat, & in prædam fortiori nõ tam patientiẽter, quã impacienter cedat. Præda adest. Rugite Ecclesiæ leones, fortes veritatis amici, vt omne virulentum animal pelle ouina indutum, tremefactum, & attonitum concidat & in prædam vobis fortioribus, siue patiẽter siue impatienter cedat. Nõ sine præda decedetis. Nunquid dabit catulus leonis
Amos 3. Acterũ 10 vocem de cubili suo, nisi aliquid aprehenderit? catuli enim estis leonis de tribu Iuda, qui ad prædam ascendit vt leo omnia deuorabitis nociua, vt ipsa occisa possitis alacriter manducare, iuxta dictum Domini Petro; *occide & manduca*; vsq; ad occisionem prosequimini, prosternite, & supprimite inimicos, vt animalia nociua supptæsione, & humiliatione mundæ, manducetis; indulgendo delictis; nam leo Regium animal postrato parcere dicitur homini, sic facit leo ille maximus, cuius catuli estis. Insequimini ergo prædam, & vt insecutio, & non persecutio appareat, auditum facite in ædibus azoti, & in ædibus tetræ AEgypti, congregamini super montem Samariæ, vocate gentes, congregate populos, quo ad vnate sines, vt videant calumnias multas in medio eius, & calumniam patientibus in penetrabilibus eius. Ita enim priscis, & lapsis temporibus ille catu-
Orat. 3. lus fortissimus rugiens clamauit. D. Gregorius Nazianzenus, *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis terram, omnes enim ex edita quadam, & mediterranea specula magno & sublimi præconio appello. Audite populi, tribus, linguæ, homines omnes cuiusuis generis, & ætatis, tam qui nunc estis, quam qui posteritis. Atq; quo*
Psal. 118 *latius præconium pateat omnis cælorum virtus, omnes Angeli, audi cælum, & auribus per-*
Lib. 2. Epist. 7. ad Theodosiũ. *cipe terra. Iam enim tempus est vt ijsdem verbis vtamur quibus Isayas vocis sublimitate Profetas omnes antecellens. Hoc vnum interest, quod ille ob Israelem qui Dei legem reiecerat, ea vocat, atq; contestatur; nos autem ob veritatem in iniustitia detentam* ob sanctos impie repulsos, atque ob maxima minantia pericula si veritas etiam
Epistola ad Synodũ Cõstantinopolitanum habetur in tom. 1. decret. Epist. 72. & 2. tom. Conciliorũ Epist. 75. in occulto detrimentum patiatur. Rugite ergo ne timeatis, si leones estis nemo. Vos terreat. *Loquebatur* enim regius vates *de testimonijs Domini in conspectu regum, & non confundebatur.* Nemo vobis libertatem dicendi dum recta loquamini denegabit, quia vt ambrosius loquitur, *neq; imperiale est libertatem dicendi denegare, neq; sacerdotale quod sentiat non dicere; nihil in regibus tan amabile est, quam libertatem etiã in ijs diligere, qui obsequio ipsius subditi sunt, nihil etiam in Sacerdote tan periculosum apud Deum tam turpe apud homines, quam quod sentiat non libere pronunciare*, & vt ait Beatus Ormisda Papa *idem error est tacere veritatem qui est falsis assistere*, & Angelicus Magister D. Thom. docet, quod etiam si confiteri fidem non semper neque in quolibet loco sit de necessitate salutis; tamen in aliquo lòco & tempore; quando scilicet per dimissionem huius confessionis subraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda. Puta si aliquis interrogatus de
2. 2. q. 3, art. 2. in corpore. fide taceret, & ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem, vel quod fides nõ esset vera vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide, in huiusmodi enim casibus cõfesio fidei est de necessitate salutis, ex qua ratione D. Thomæ proportionale

tionale potest fieri argumentum instante necessitate, & periculo veritatis subuersionis,& corruptionis morum. Quando maxima ingruit contra veritatem tempestas,& alia imminent perniciosissima damna,vt teneantur Catholici magistri pro veritate, & recta viuendi ratione vsque ad victoriam vel mortem decertare ne ipsorum taciturnitas ipsos videatur consentientes in eodem delicto facere,aut numero veritatem impugnantium ascribere.

§. III.

TAciturnitas enim tali vrgente occasione delictum potius quam modestiam parit;audite qualiter diuinus sponsus sponsæ oculos laudat, taciturnitatẽ tamen non laudando vituperat, ait enim secundum septuaginta interpratum lectionem, *oculi tui sicut columbæ extra taciturnitatem tuam.* Quæ aliquando potest perniciosa esse.Oculi Ecclesiæ idest Doctores pulcritudinem suam in veritatis intelligentia ostendunt;si quando veritas ipsa periclitatur non loquuntur,si lolio perniciosissimo,& infelici doctrinas non expurgant; audiant sponsum infra *sicut cortex mali punici genæ tuæ.* Super quæ verba Philo Episcopus ita fatur *comparatur sancta anima malo punico, quia fouet in sinu suo cogitationum & desideriorũ optimorum grana pulcherrima, quæ se opportuno tempore promunt & apperiunt.* Tempore igitur oportuno præmeditata verba debet prudens Doctor Christianus loqui quod si non faciat vitio illi vertendum est maxime,si in publico docendi constitutus sit culmine. Si enim tacet. Aliquando *væ* Prophetæ ex eius ore audiemus,*væ mihi quia tacui* aliquando gemmens loquetur. Plerũq; enim inquit Gregorius Magnus *nimis taciti dum quorundam mala respiciunt & tamen in silentio linguam præmunt,quasi conspectis vulneribus vsum medicaminis subtrahunt; & mortis authores fiunt,quo virus quod poterant eiicere loquendo noluerunt.Vnde inmoderatum silentium si culpa non esset Propheta non diceret væ mihi quia tacui.* Si conspicitis vulnera,si virus eiicere potestis quare medicamina subtrahitis ? quare auhores vultis fieri mortis per immoderatum silentium?quare sapientes,& Doctores in Ecclesia vultis appellari,si iam loquendi tempus instat & non loquimini?*sapiens tacebit vsq; ad tempus* vt nimirum (inquit magnus Gregorius) *cum oportunum considerat postposita censura silentij loquendo quæ congruunt in vsum se vtilitatis impendat.Tempus tacendi & tempus loquendi assignat Dominus discrete tamen vicissitudinum pensanda sunt tempora nec vt cum restringi lingua debet per verba se inutiliter soluat, aut cum loqui vtiliter possit semetipsam pigre restringat.* Hostium ori suo imponi supplex postulabat Dauid Propheta, *pone Domine custodiam ore meo, & hostium circunstantiæ labijs meis.* Quia vt annotat Magnus Gregotius, *Ostium aperitur, & clauditur qui ergo ori suo nequaquam poni obstaculum, sed ostium petit, aperte docuit: quod & per disciplinam retineri debet lingua, & ex necessitate laxari; quatenus os discretum,& congruo tempore vox aperiat & rursum congruo taciturnitas claudiat.*

Cant. 4. — *Isai. 6.* — *Lib. 7. Moral, cap. 17* — *Eccles. cap. 20.* — *Eccles. 3.* — *Psal. 140.*

Huc vsq; tempus fuit tacendi, ostium oris fuit clausum restrictæ ac frenatæ linguæ. Iam tamen adest oportunissimum loquendi tempus. Aperiatur oris ostium laxetur ex necessitate lingua ne pigre se ipsam restringat quæ loqui potest,& debet. Regium enim silencij iter patefacit sanctus Propheta cum dicit, *dixi, custodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea. Nõ vt taceam* inquit *sed vt non delinquam, vt notat Laurencius Iustinianus,*& progreditur dicens *fugiant igitur omnes Domino Iesu placere cupientes extremum silencium quia silencij virtus non est semper tacere,sed illa sola,quæ loqui non licet, clamat etiam Hilarius* contra Constantinũ Augustum. *Tempus est loquendi quia iam præterijt tempus tacendi. Clament pastores quia iam mercenarij fugerunt, & vlterius ait tacere enim diffidentiæ signum est,non modestiæ ratio quia non minus periculi est semper tacuisse quam nunquam. Nec immatura loquor qui diu tacui nec sine modestia tacui quia aliquando loquor & ne quidem ex causa*

Psal. 58. — *De discip. Monastica cõuersationis cap. 15.*

mea

mea loqui existimarer tantum adhibui ad silentium tempus. Eadem poteritis optime cum Pictauiensi Episcopo dicere & in præsenti causa pro ferre nec immature loquemini cum diu tacueritis nec sine modestia tacuistis si aliquando loquamini. Plurimum adhibuistis ad silentium tempus non existimabimini ex propria loqui causa. Clamate ergo vociferamini patres, & Doctores ne de vobis dici possit, aut iusta de causa effari; quod Nazianzenus de Episcopis aliquibus sui temporis, ita enim de ipsis fatur. *De Ecclesiæ prælatis alij pietatem fugiunt, vt pietatem libera oratione promulgare non audeant, siue certo concilio & dispensatione, siue metu, atque ignauia eo confugientes vt qui animo quidem & mente sani sint, vt affirmant; ceterum plebis sanitati minime consulant; perinde ac si ipsis, non aliorum sed sui duntaxat cura, ac præfectura commissa sit.* Cura debet esse magistris veritatis pro veritate tuenda. Si siletis lingua; manu & atramento pugnate, & si pro defensione veritatis mori debetis, tendite ceruices vt pugiones imprimantur. Si enim hæc non attenditis; leo rugiet ideo ipsius rugitum timete & si Dominus loquitur Prophetate neq; vsq, ad subuersionem inimicorum veritatis arma deponere licebit alias rugitum leonis minantis Prophetarum taciturnitatem tempore quo loqui debebant in vltimo Dei iuditio patiemini.

Orat. 2.

Cap. II.

Quod exempla Sanctorum vocant Doctores & Magistros huius temporis impugnant pro veritate.

§. I.

TVBAE sunt exempla sanctorum pro veritate clamantes signa dant ad pugnam ad arma prouocant, plurima antiqua quæ pro veritate habuere certamina, quantum enim excitent ad prælia antiquorum exempla, eos qui volunt pro Deo inire certamina victoriæq; palmis pro eius zelo ornari, quisq; sapiens sufficienter intelligit. Exigit, namq; humana fragilitas & oportune corroboratur in opere exemplis maiorum, atq; quotidie animatur ad melius, præteritorum patrum rememoratione virtutum. Hinc factum est diuinæ dispensatione clementiæ, atq; humanæ exercitatione prudentiæ, vt tam solerter, tamq; copiose probatissimorum tradita sint memoriæ gesta virorum; adeo, vt in quolibet virtutis genere laudabilia reperiantur exempla, quam plurima, quibus ad eadem imitandum plurimum exortentur, qui audiunt. Taceo interim de ijs, qui extra Ecclesiæ gremium fuerunt, & de illis etiam qui vnius summi, & veri Dei fide recta caruerunt, quorum eximiorum operum, præconia ab eruditissimis, famosisq; viris pæne innumerabilia miro eloquétiæ, & narrationis ordine exarata sunt per librorum volumina quis. (oro) potest calamo vel lingua exprimere fidei lumen, longanimitatem spei, ardorem charitatis, cordis innocentiam, iustitiæ zælum, hospitalitatis studium, amorem fraternitatis, pudicitiæ constantiam, tolerantiam laborum, animi mititatem, dilectionem inimicorum, patientiæ robur, humilitatis exempla, loquendi authoritatem, integritatem morum, vitæq; perfectionem iustorum, qui Deo tota mentis intentione placere studuerunt? discurre & per lege sacrarum paginas scriptarum; & intelliges exigua & indigna eorum laudibus esse, quæ dicuntur, & sanctis illorum operibus multum quæ proferuntur imparia.

Nunc ergo pro zælo Dei & veritatis amore in arenam descendant viua & efficacissima exempla Nazianzenus, Ciprianus, Epiphanius, Ambrosius, Hieronimus, Aug. Thomas sanctissimus noster Aquinas, omnisq; simul quot, quot in Ecclesia sunt Doctores sancti qui calamo & verbo, pro defensione veritatis

tatis laborarunt. Hæc potentissima exempla ad arma vocant Doctores, maximeq; eos ad prælia pro veritate stimulare contendunt, nihil enim ita efficaciter monet, atq, excitat viros doctos, ac sanctos quam maiorum suorum exempla si enim in officio succedunt, fas est vt laborare non renuant. Audiuit olim Esdras in numera totius populi peccata, vt sacer proponit textus, *cumq; audissem inquit sermonem istum scidi palium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ & sedi mærens.* Quo viso Principes & populares Israel conuenerunt statim ad eum, fleuerunt pariter & cōtra scelera obiurauerunt simul vt cap. sequenti cōstat. Hoc admirans glossa notauit & aduertenter pro omnium doctrina proposuit. *Nota* inquit *Glossa quantum exempla Doctorum iubent nihil scribitur Esdram locutum esse sed tantum audito scelere lacrimasse & turbam ad se fidelium non vociferando sed lacrimando traxisse*, potentes fuerunt Prophætæ lacrimæ & efficax mæroris exemplum vt Principes & populus obortis lacrimis ad Doctorem conuenirent. Quando iratus Dominus contra populum fornicantem cum filiabus Moab vocantibus eum ad sacrificia sua, præcepit Moysi vt tolleret cunctos Principes populi & suspenderet eos contra solem in patibulis vnus de filijs Israel Zambri nomine audacter & impudenter intrauit coram fratribus suis ad Scortum Madianitidem vidente Moyse & omni turba filiorum Israel qui flebant ante fores tabernaculi quod cum videret Phinees filius Eleazari filij Aaron, surrexit de medio multitudinis & arrepto pugione ingressus est post virum Israelitē in Lupanar & perfodit ambos simul virum & mulierem. Factum scelebre ardebat enim Phinees Zælo honoris diuini: itaq; fuit hoc per illustre fascinns æterna dignum laude, vt hodie eius auctor viuat nam vt inquit *D. P. Damianus iste Phinees fuit Elias qui videlișcet igneis equis & curru Eliseo suscipiente est translatus in cælum* (quod late ibi probat) fuit ita exaltatum præconijs vt omnium adscriptum sit mentibus. Postea enim magnus ille Matathias videns Iudæum sacrificare idolis, in omnium oculis in ciuitate Modim vt Anthiochi Gratiam lucraretur, recordatus facti Phinees accensus est furor eius secundū iuditium legis & insiliens trucidauit eum super aram: interfecitq? etiam virum ab Anthiocho missum vt alios immolare cogeret; aramq; immolationis destruxit & zælatus est legem inquit textus sacer sicut fecit Phinees Zambri filio Salomi. Exemplum, & factum Phinees mouit, & excitauit Principem Matathiam, vt pro diuinæ legis defensione, vsq; ad transgressorum interitum etiam cum propriæ vitæ discrimine, ac manifesto periculo decertaret; arripuit Simeon Gladium in Sychimitas, vt vindictam sumeret de illata sorori iniuria ab eorum Principe, Pater eius Iacob, in testamento grauiter factum reprehendit, pertinatiamq; exprobauit vindictæ, at vero fortis illa Iudic Betuliæ liberatrix opus inspexit attenteq; oculos in causa iusta defixit, ob quam Simeon peruenerat ad arma, vt extraneam mulierem iniuria passam vindicaret, ex quo excitantur Iudic vires, confortatur animus, pulsatur affectus, vt arrepto gladio suæ honestatis ac puritatis inimicum & Betuliæ perniciosissimum hostem secure posset detruncare. Ita zælus pro honore diuino inter amicos Dei graditur, vt qui priores fuerunt successoribus signa, & exempla relinquant, quibus ad arma alacriter moueantur.

Lib.2. cap. 9.
Numer. 25.
Opusc. 16. de cælibatu Clericorū.
1. Mach. 2.
Genes. 34.
Iudic. 9.

§. II.

INuehitur inuigilantium Hieronymus contra honorem, & reuerentiam reliquijs martyrum præstitam oblatrantem; Ripario q; cui designatam destinauit epistolam *sic alloquitur; tacita me forsitam cogitatione reprehendes quod in absentem inuehar fateor tibi dolorem meum, sacrilegium tantum patienter audire, non possum. Legi enim stromaslem, Phinees, austeritatem Heliæ, zælum Simonis Cananei, Petri seueritatē, Ananiam & Zaphiram trucidantis, Pauliq; constantiam, qui Helimam magnum vijs Do-*

mini resistentem aterna cæcitate damnauit, nō est crudelitas ista pro Deo sed pietas, si enim pietas est veritatem impugnantibus contradicere si patres hoc clamant si exēpla vociferari non cessant si hæc Hieronymi inuigilantium valent roborare vires. Vestra Reuerēdissimi patres & magistri ergà veritatem & Doctores sacros elucescat pietas; quotidie enim impugnantur, non taceatis *cum sapientis officium D. Thom. Doctore sit principaliter circa considerationem veritatis insistere. cum magister ille summ is omnium magistrorum parens ad hoc natus sit & ad hoc venerit vt testimoniū perhiberet veritati.* Si secundum D. Thom. doctrinam *eiusdem est vnum contrariorū prosequi & alium refutare; sicut medicina operando sanitatem infirmitatem excludit si sapientis est veritatem, præcipue de primo principio meditari & de alijs disserere si eiusdem est falsitatem impugnando profligare* vt Spiritussanctus loquitur *veritatem, meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium.* Quare tantum in prima parte officij sapientis Doctores sistunt? quare ad secundam nō descendunt? quare impios, & impietates in veritatem, in sanctos patres, in bonos, ac pulcros Ecclesiæ mores non detestantur? ad coronam magisterij volunt sine labore ascendere? manipulos colligere, antequām seminauerint? mercedem ante laborem cōparare conantur? ad quid dantur Doctoribus arma nisi vt prælientur? pugna adest, arma assumant si gloria ditari cupiunt, pati minime formident cum sint in stadio positi, iam aliqui in arenam pro veritate defendenda descenderunt pro impugnandis doctrinis parum tutis venerunt ad arma, de generis animi est fugere antepugnæ finem, prius est resecanda impietas, cohibendæ nouitates profanæ quam è stadio recedendum. In bello pugnantis virtus agnoscitur, omnes pacis tempore victores sunt cum non sit, qui repugnet: cum autem tubæ insonuerit, vox cum dimicandi superuenerit hora, & armorum fragor ingruerit qualisquisque maneat apud se notum fiet. Non verborum pompa non vulgi fauor, non propria æstimatio, sed animi vigor magnanimitas cordis, studiorum assiduitas, rationes pro defensione veritatis exaratæ, veritatis militem ac magistrum commendabilem reddit. Arma ergo assumite, sint tot sanctorum patrum vobis manifesta exempla tubales voces, buccinæ clangentes & excitantes ad prælium. Sed nunc ad vos meus sermo sapientissimi patres ac magistri sacri Religionis Prædicarorum & Ordinis veritatis memoramini sanctissimum Patriarcham nostrū Dominicum qui in euertendis hæreticis Albigensibus decem integros cōsumpsit annos. Adsint sex nostri sacri Ordinis filij à quodam Tolosano comite pro defensione veritatis iugulati, quorum singuli capita sua vsq; ad conuentum manibus detulerunt, præcedente singulos lumine cælitus demisso. In memoriam reuocate qualiter prædecessores vestri ab Honorio Quarto in Africam, & Hispanias ad conuertendos Sarracenos mittuntur mirabiliaq; ibi ab illis fuere patrata facinora. Qualiter in Pocinia, & Dalmacia suis doctrinis & argumentis quā plures reducti sunt hæretici humiliter veritatem Catholicam totis viribus confitentes. Qualiter præsente Colomao Rege contra hæreticos acriter disputarunt eosq; conuictos flammis commiserunt. Attendite ergo qualiter semper pro fide, & veritate Catholica totis viribus vsq; ad efusionem sanguinis quam plures huius sacri Religionis patres ac magistri decertarunt; quot subiere incommoda quot exantlarunt labores vt recte de ipsis possit dici, *& erit domus Iacob ignis & domus Ioseph flamma & domus Esau stipula.* Siquidem domus veritatis & prædicatorum; domus est Iacob, & Ioseph, veritatis flammas, ignitaq; iacula cōtra domum Esau errorum spinis laceratā proijciens à plerisq; nuncupari soleat. Nunc ergo magistri omnes veritatis arma assumite, sint tot sanctorum patrum vobis manifesta exempla ne suspendamini coram sole sicut Principes Israel ob honorem Dei non zælatum, Principes enim Israel estis vos idest visionis Dei, si pro honore Dei & veritatis non zælatis clamando, contra ipsam suspendemini vt ostendat non vos habuisse in necessitate amicos, & vociferatione magistros sed taciturnitate inimicos, & contrarios experijsse.

[Margin notes: 1. Contra gētes cap. 1. — Ioan. 8. — Prou. 8. — Abdias.]

Cap. III.

Cap. III.

Quod non meretur nomen Magiſtri & Doctoris qui pro veritate non decertat & eius non maximo ardet & deflagrat amore, & quod verus magiſter debet ſe ad omnia incommoda præparare neeprælio decedat ante victoriam pro veritate.

§. I.

IOSEPH caſtitas poſt adulteræ inſolentiam, Iob tolerantiam poſt ſobolis reſtitutionem, Abrahæ obedientiam poſt bibratum in filium gladium Dominus in ſacra ſcriptura commendauit, & veſtra ſapientiſsimi magiſtri commendabitur, & vſq; ad cælos euehetur fortitudo, & ſapientia; veſtrum maxime fulgebit magiſterium poſt eliminationem nouitatum, poſt euerſiones errorũ, & poſtquam fuerit decantatus vobis decertantibus pro veritate triumphus. Virtus enim certaminis merces eſt; pugna autem teſtimonium virtutis, amor vero rei pro qua inſeritur prælium famulatur vtrique. Qui rem pro qua bellum init non diligit nec certamine fortis nec poſſeſſor poteſt eſſe virtutis. Amor pugnandi & dilectio virtutis fortitudinem confert, miniſtrat animo vires conſumat victoriam. Qui ſine amore certare vult omnibus ridiculus erit; aut enim hoſtium captiuus fiet aut ante exitum pugnæ de ſtadio decedet inglorius. Melius eſt non inire conflictum quam non perſeuerare in ipſo, difficiliter enim vincitur qui ardenter diligit & ad pugnam prudenter ſe muniuit; ob hoc ergo ſapiens docet *vt accedens ad ſeruitutem Dei ſtet in iuſtitia & timore & animam ad tentationem præparet.* Cognouit enim vir ſapientia munitus naturæ imbecillitatem humanæ, inimicorum liborem oppugnantium ſæuitiam; diuturnum conflictum, & militantium Chriſto maximam eſſe repoſitam gratiam; ideo non diſuaſit pugnam ſed commendabilem voluit oſtendere pugnæ prouidentiam; minima quæq; ſi improuiſa veniant grauiter feriunt; ante omnem aduentum quæ futura ſunt aduerſa cogitanda proponantur, & futura tanqnam præterita examinanda ſunt vt nihil noui contingere videatur. Tunc enim mens à ſoliditate non decidit cum præmunita fortitudine pati ardua non refugit. Nemo tamen de ſe confidat, nullus de proprijs viribus in hoc certamine præſumat, totum aſcribat Deo, totum ſe illi committat pro eius cauſa decertat, vt in Deo tranſgrediatur murum & caſtra aduerſantium facile profligare valeat. Sacræ Scripturæ & ſacrorum Doctorum magiſterio quilibet magiſter edoctus eorum patrocinio ac cuſtodia munitus in cunctis expectationibus debet expectare triumphum; nam cum Hæliſeum multa armatorum manus a Samarita Rege miteretur, domumq; Valaſſet, a Giezi clamatum eſt; *inſidiæ, inſidiæ. Quod cum Propheta audiſſet, puerum ne paueret fuit hortatus, orauitq; vt ipſius aperirentur oculi; qui modo vidit omnem montis ſuperficiem domumq; armatis valatam militibus, & ait plures pro nobis ſunt quam contra vos;* huius enim exemplo non formidoloſe ſed confidenter bellum aggredi debetis præexcelſi veritatis magiſtri; cæleſtium magiſtrorum muniri legionibus. In primis vobis ipſa aſiſtet veritas, quæ ſcutũ eſt defendens & protegens vt ait Propheta *ſcuto circundabit te veritas eius non timebis à timore nocturno* ideſt à nocturnis falſitatis inſidijs. Proteget vos magiſter veritatis *cum ad hoc natus ſit & ad hoc venerit vt teſtimonium perhibeat veritati.* Arma miniſtrabunt ſancti Angeli ideſt Doctores Eccleſiæ. *Sacra pagina concilia & decreta Pontificum, pharetræ ſunt ſpirituales, in quibus ſagittæ acutæ, & ignitæ extant*, inquit Laurentius Iuſtinianus vt à longe poſsint exterminare inimicos. Has prouidiſsimas pharetras nemo pro veritate militans derelinquat, & aſsiduo cogitatu veritates intelligat ſcripturarum, vt contra falſitates nouitates aut errores argumenti & rationis forte intorqueat iaculum

Eccleſiaſt. 2

Laurent. Iuſt. de Caſto conn. cap. 6.

1: Paralip. 32.

De Caſto conn. cap. 6.

His.

His pharetris omnium magister præcinctus perrexit ad pugnã, ex quibus tres eduxit sententias, quibus saggitis aduersarios prostrauit: ideo, clamauit Propheta *emitte saggitas tuas & dissipabis eos.* Eruditur quoq; animus sacrarum scripturarum & Doctorum sacrorum meditatione, ad agnoscendas inimicorum insidias & astutias id decantauit Propheta *super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo quia in æternum mihi es.* Per se quis non sufficit. Non aliunde congruentius, non plenius non suauius edocetur quam in eloquio sapientiæ. His præcincti armis, circundati pharetris, muniti legionibus impugnationum bella aggredi poteritis; sisi quod sicut memoratum Prophetam ne in minimo quidem vt illum raperent nisi lædere valuerunt quin potius orante Propheta ipsi cæcitate percussi sunt, ita nec vos veritatem impugnantes lædent sed potius veritate quæ vincit omnia repercussi ipsam venerabuntur veritatem.

Psal. 143.

Psal. 118.

§. II.

VEneramini interdum sanctos Doctores pharetris scripturarum armamini & vtroq; præsidio cepti pudeat vobis inimicis terga vertere. Non vos certandi libor, non certaminis incertus finis, non torpor spiritus conquatiat; in acie positi sumus, qui vicerit veritatis amplexibus dignus fiet. Potuit olim Dauid vt Regis gener esset in circuncisorum cum periculo centum auferre præputia, & non poterit veritatis miles vt dignus habeatur sapientiæ castissimo connubio, falsitatis & nouitatis supprimere insultus? valebit enim plus mulieris quam veritatis amor? alliciet ne amantis cor plus carnalis copula, quam veritatis perpetuum contuberniũ? innumeri enim sunt qui vt terreni fastigia teneant imperij, omni se labori etiam cum corporis animiq; detrimento se exponunt; & qui veritatis nuncupantur magistri, vt æterna laude digni sint & diuini consortij participes, tabescent otio & prægnania dormitabunt? vtriq; prudentiores, robustioresq; filij tenebrarum sunt, quam filij lucis in negotijs suis, & in temporalium bonorum cumulatione? stupeat cælum, clamet terra, & omnis creatura miretur; Cum Doctores & magistros veritatis plus alliciat labor prælaturæ, quam requies sapientiæ, amor diuitiarum vanitatis, & honoris, quam defensio veritatis. Sponsam periclitantem inspiciunt, dileniatam ac vulneratam penitus & nec defendere, aut curare tentant: non ne sponsam vulneratam agnouimus quando sponsum quærens in custodes incidit ciuitatis, qui ita plagis affecerunt eam, vt dolens clamet; *inuenerunt me custodes qui custodiunt ciuitatem, percusserunt me, vulnerauerunt me, tullerunt pallium meum custodes murorum.* Quid est hoc quod custodes murorum pallium sponsæ rapiunt? quid est quod ipsam vulnerant & sanguine madefactam; non cu rare sed magis lacerare tentant? nisi quod veritatis Doctores, qui custodes sunt: murorum defensionis Ecclesiæ, & veritatis, ipsam laceratam, ac vulneribus affectam vident, & minime pro ipsa loquntur hoc tacere, est vulnerare, hoc non defendere, & contra ipsius aduersarios nõ arguere falsitatem increpãdo; est pallium ab ipsa tollere, & in medio platearum denudare, quia vt inquit Dominus, *qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum; dispergit.* Et si vt ait iurisconsultus *agentes, & consentientes pari pena puniuntur;* æqualiter pænnas dabunt apud patrem veritatis ipsam impugnantes, ac ipsam non defendentes quia si Doctores & Magistri possunt tenentur & nõ faciunt, certe rei erunt in iudicio Domini. Quod possint patet cum ipsi docti prædicentur, & appellari vellint ab omnibus Rabi; insignias, & æmolumenta Doctorum, & Magistrorum portant. Quod teneantur constat, quia Doctor veritatis tenetur vt probatum relinquo, veritatem periclitantem defendere, sicut tenetur ipsam publice docere pro sui officij munere. Quod non faciunt; o vtinam non sic lyppis, & tonsoribus pateret, quæ enim scripta in lucem prodeunt pro veritate tuenda?

Cant. 5.

tuenda? quis vsq; nunc se opposuit contra mendacium virulenter & latenter prolatum? quis ad arma venit, quis libros exarauit, quis apologias confecit pro defensione veritatis. Timete magistri, cauete Doctores, quia magnum vobis imminet iudicium, & si veritatem vulneribus laceratam nō defenditis, si sanguine madefactam non curatis lacerati, & madefacti cruore deficietis in via. Vertite aciem ad virum de filijs Prophetarum dicentem ad socium suum in sermone Domini quod eum percuteret, at ille noluit facere cui ait vir de filijs Profetarum; *quia noluisti audire vocem Domini; ecce recedes a me, & percutiet te leo*, quod ita factum est; à leone enim fuit percussus qui verbo Domini obedire recusauit, & percutere virum de filijs Prophetarum renuit iubente Domino; sic fiet nolentibus inimicos veritatis percutere clamante Domino, & arguente conscientia leo rugiet de sylua, & eos deuorabit. 3. Reg. 20.

§. III.

NEc se clamēt veritatis amatores, aut fateantur veritatis amore fragrantes, si ipsam periclitantem despiciunt, clamat sponsa, audacter, ac fortiter verba pronunciat, *pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. Quid ergo mulier ista fortis petit, nisi vt confidat in ea cor viri sui? quid enim vult poni, vt signaculum super cor, & super brachium sponsi? nisi ac si dicat (Ruperto interpræte) confidat in me cor tuum, roboretur ex adiutorio meo brachium tuum. Quid enim est in præsenti cor dilecti (ait Rupertus) quid dilecti brachium nisi scriptæ veritates, quæ scriptæ sunt secundum cor dilecti, & memoriam mirabilium eius? ex quibus cognoscitur, quam magnum, quam forte sit dilecti brachium. Si enim brachium dilecti forte est, ob quam causam petit sponsa poni vt signaculum supra ipsum? ob triplicem (inquit Episcopus Vticensis) quæ contra ipsum litigant insaniam videlicet Iudaicam, Paganicam, & Hæreticam. Prompta sum inquit sponsa, expedita sum, debita sum, fortiter defendere illud cor tuum, protegere illud brachiū tuum sicut imperiale signaculum, sicut fidele testimonium, mira fortitudine mira duritia, quam nullus possit efringere. Fortitudinem, meam dico dilectionem, duritiam, meam dico æmulationem: qur hoc? quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Quod est dicere zælum magnum habet dilectio iram intolerabilem habet æmulatio. Nunc ergo veritatis magistri si sponsum diligitis si ipsius honorem zælatis: ostendite vos signaculum super brachium & super cor sponsi prompti & expediti accingimini filij potentes vt fortiter illud cor sponsi defendere & illud brachium dilecti tanquam imperiale signaculum protegere possitis. Sacras scripturas & veritates diuinas effringere omni cauillatione latentes inimici curant, cor dilecti lacerare tentant, brachium sponsi eneruare contendunt, vestra pro defensione dilecti vigeat fortitudo elucescat æmulatio zælum ascendatur vsque in lampades flammarum, vt aquæ inimicorum cordis & brachij dilecti vestram non valeant extinguere charitatem, nec flumina contradictionis possint firmam dilectionem obruere. Hoc aduertenter attendite, vigili ac aperto oculo auscultate, quod post quam ascendit de deserto delitijs affluens, mulier ista fortis ennixa super dilectum suum, poscit vt confidat in ea cor viri sui. Ascendebat equidem de deserto sapientia onusta, affluens doctrinæ diuitijs, enixa super dilectum suum, oratione, & contemplatione assidua. Et ita optime petit vt confidat in ea cor viri sui. Hoc non ita audacter proferret ac firmiter loqueretur, si sponsa in palatijs moraretur Regum, si degeret in ciuitatibus magnis, si in curijs, & domibus potentum vitam ageret; ibi enim sponsa non inniteretur dilecto, sed ambitione, adulatione, prælaturæ, & dignitatum desiderijs, diuitiarum, & applausus cupiditate. Ibi diuitijs non doctrinæ afflueret sed blandientium verborum ad auram sonantium ac prurientem eformantium sonum

Cant. 7.

Laur. Iust. de casto cō nub. cap. 6. num. 3.

quibus sæpe imo sæpissime potentes miseri decipiuntur & vsque in æternum baratrum demerguntur: confidat ergo cor dilecti in sponsa ascendenti de deserto; delitijs sapientiæ affluenti, ennixa super dilectum, contemplatione oratione, & studiorum labore. Talis quidem sponsa vnquam deponere poterit zælum dilectionis, quem circa cor dilecti sui habet & iram æmulationis quam circa cor eiusdem dilecti sustinet relinquet. Sicut enim mors, sicut infernus, ita nulli parcet, & omnibus non recte loquentibus, aut disputantibus de corde & brachio dilecti id est de veritate & scriptura semper immitis apparet. Quis enim amator veritatis potest tolerare veritatis contrarium quis tales eliminare, & anathematis glado trucidare non tentat? nulla re magis offendi, nullo malo exacerbari amplius veritatis amator potest, quam si audiat aliqua contra verum sensum cordis huius amici contra honorem & fortitudinem brachij huius dilecti, & si forte natura sit mitis, statim ad rem istam fit intractabilis vt videatur aduersarijs motus eius quasi motus mortis & ira eius quasi infernalis. Sicut de Moyse consNum. 12.
tat qui cum esset mitissimus omnium hominum qui morabantur in terra, vbi causa poposcit sic immitis factus est quasi mors, sic durus quasi infernus, ita vt diceret: *si quis est Domini iniungatur mihi*, & durissimo eius imperio occideret
Exo. 32.
vnusquisq; fratrem, amicum, & proximum suum ceciderunt q; vna die viginti tria millia. Et ille materiali quidem gladio & alij post eum complures vt Helias, & fortissimus Dauid probauerunt, quia vere fortis est vt mors dilectio vere dura sicut infernus æmulatio. Sed nunc vos magistri veritatis si sponsi dilecti estis, si officium sponsæ agitis spirituali gladio sæuite propter dilecti vestri cor & brachium, persistite fortiter tanquam inuiolabile signaculum. Nam de materiali gladio non habetis præceptum aut consensum sponsi cum aliquando clamauerit
Mat. 26.
Conuerte gladium tuum in locum suum, lampades enim sunt arma quibus zælum & iram in falsitatem ostendere debetis nam dilectionis atq; æmulationis lampades, lampades ignis atq; flammarum, lampades ignis, lampades dilectionis, lampades æmulationis, lampades flamarum. Isti sunt cherubin & flammeus gladius paradisi quem constituit Dominus ad custodiendam viam ligni vitæ, sicut enim ignis dum concitatus fuerit generat flammam, sic dilectio dum aliquid perceperit nō secundum cor dilecti non secundum sensum huius veri amici, parit æmulationē, lucentem pariter & vrentem, amicos si fortes lucentem. Quomodo ergo vrentē? in inimicos. Et si pro se habuerint turbas populorum, gladios regum atq; potentum, scilicet sicut aliquando primi sponsi inimici habuerunt. Confidat tamē in tali sponsa in talibus magistris veritatis cor, quia nihilominus fortis erit vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, imo & amplius lampades istæ ardebunt atq; lucebunt lampades ignis atq; flammarum. Aquæ enim multæ non potuerunt extinguere charitatem neq; flumina obruent illam. Vidimus aquas multas inundantes persecutiones popularium, & flumina, scilicet persecutiones Principum fortium, & potentium quæ cum vehementer inundarent non potuerunt extinguere siue obruere charitatem, neq; compescere eius æmulationem pro corde dilecti sui. Si enim amatores estis veritatis si sponsi dilecti, arma mouete pro ipsius corde defendendo; pro ipsius tuendo brachio, nam ostensio amoris exibitio est operis, efulgeat ignis moueantur flammæ vt veri Ecclesiæ cherubin flameum vertite gladium, vt viam ligni vitæ custodiatis, virtus enim languet nisi exerceatur, lascesita autem crescit, ignis quo plus agitur plus corpit, corpat enim ignis doctrinæ zælo agitatus amoris; comburat syluas flagrare faciat tumētes falsitatis montes, & si ipsi flagrant libidine dominādi, si dignitates ambiunt,
Laur. Iust. de casto cōnub. cap. 6. num. 3.
si honores præoptant si laudari curant, si auram populi quærunt vos tamen veritatis amici vno sitis contenti, scilicet veritatis defensione, pugnate pro veritate, & ipsa coronabit vos.

Cap. IIII.

Cap. IIII.

Qui Magistri & Doctores veritatis debent pro ipsa laborare vt boni Ecclesiæ milites quorum est contra errores pugnare.

§. I.

VSVS quidem docet, vt quoties contingat duos simul dimicare exercitus miles prose sit quisque solicitus qualiter videlicet illæsus hostes possit in vadere de prædari atq; subigere. Singuli propria tractant negotia & pro sua laborant salute, at vero totius dux exercitus præter suam gerit omnium curam prouidet namq; quibus ipse exercitus alatur ciuis quibus vtatur æquorum stramentis. Secum tacitus, cogitat de vniuersorũ indemnitate, quomodo scilicet valeat aduersarios decipere aduersus illos insidias ponere, dissimulare fugam, ac superare in cautos, cæteris quippe ludentibus, prandẽtibus, vagantibus, dormientibusq; ipse clam inimicorum proluſtrat castra si forte eos improuisos reperiat, inuadat, trucidet & disperdat, omnis profecto industria protuitione exercitus tam in instituendis excubijs, immitendis exploratoribus, quam in mutandis custodibus ex ipsius animi sagacitate dependet, ad illius quoq; imperium mouentur castra, acies diriguntur, certamen geritur, ipse nempe in hora conflictus hortatur trepidos, vrget pigros, robustos ascẽdit, retro gredientes impellit, de ordinatos ordinat, & cum pugnantibus desiderio, & adhortationibus pariter ipse concertat. Quod autem de visibili est dictum exercitu, hoc de spirituali & inuisibili censendum esse non ambigo; porro istum spiritualem exercitum cõgregationem dixerim omnium esse fidelium, qui in Ecclesia tanquam in campo sub diuersis gradibus distinctis, videlicet agminibus sunt ordinati ad bellum aduersus aereas potestates, quod profecto mille modis ocultis machinationibus, fraudibus innumerabilibus, & implacabili crudelitate die noctuq; Dei castra impugnare non desinunt. Ad quorum siquidem defensionem instructionem, & regimen instituti sunt, spirituales duces animarum, videlicet pastores atq; rectores quatenus ipsorum salubri prouisione, exercitatione laudabili, ad monitione sancta, cæleſtiq; sapientia plebs tota credentium, quod per se minus est valida ad pugnandum animatur indeficienter iugiter erudiatur, protegatur orationibus atq; decertaminis perseuerãtia concilijs salutaribus roboretur. Istis prorsus incumbit cunctarum gubernatio Ecclesiarum, omniumq; tradita est cura fidelium quibus quemadmodum adscribitur ad meritum vniuersorũ corona vincentium ita eregione pereuntium *de ipsorum manibus requiretur sanguis.* Si tamen de eorum salute reperti fuerint desides atq; vitæ monita eisdem insinuare neglexerint. Propheta hoc atestatur *si non annunciaueris impio iniquitatem suam ipse in peccato suo morietur sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ex his igitur quæ dicta sunt claret perspicue quanta sufficientia quantaq; in regimine animarum debeat esse solicitudo pastorum expedit enim illis vt habeant cognitionem inimicorum, subditorum, & sui, inimicorum quippe vt sciant, cum quibus eos certare oporteat cum sint spiritus inuisibiles, intellectuales, callidissimi assueti ad Bellum pleni omni iniquitate, atq; fallacia, qui profecto vincuntur non corporis fortitudine, non humana prudentia, non virtute armorum, non armatorum multitudine, non imperandi dominio, sed gratia Dei orationis instantia, humilitate cordis, lacrimarum effusione, deuotione mentis, fidei constantia, pietate animi, & ignito charitatis affectu. Horum plane spiritualium hostium quicumq; ignorat astutias non valet de ipsis reportare trophæum; quis oro potest inimicum superare quem nõ videt nescitq; qua arte decertet? ipsi quidem maligni spiritus non corporis aspiciuntur obtutu, sed mentis, impugnantque nos non visibilibus

Ezechiel 3.

Num. 20.

sibilibus armis,sed minis,sed importunitate, sed promisione,sed fraude. Hodie enim grauius impugnant, acrius curant debellare, veritatem conantur obruere blandeq; falsitate ac leniter decipere.

§. III.

Ista quippe si ignorent qui præsunt quomodo subditos de ipsorum poterunt præm[illegible]uere versutijs atq; impugnationibus liberare? tāquā speculatores,ait Iustinianus. Sunt in alto constituti prælati & magistri vt debeant vigilare circumquaq; prospicere motus deceptiones insultusq; aduersariorum cognoscere, illosq; arcere clamoribus propulsare doctrinis, orationibus debellare & subditis eorum machinationes in imo positis reserare: quatenus & ipsi intellecta eorum fallatia, nunc fuga nunc valeant reluctatione eorundem infestationes euadere,cæterum si ipsi qui cæteris lumen insinuare debuerant sunt cæci, & si perspicui acuminis minime vociferari sciunt, irruent procul dubio hostes veritatis inimici,& facient maximam animarum de populationem ad speculatorum vtiq; spiritualium perniciem. Quam obrem expedit prælatis & magistris veritatis vt super Dei Ecclesiam tota mentis intentione peruigilent ne de ipsis dictum videatur quod Dominus per Prophetam quando de speculatoribus conquæritur

Esai. 6. dicens; *Speculatores populi mei omnes cæci vniuersi canes muti non valentes latrare videntes vana & dormientes,& amantes somnia,& canes impudentissimi nescierunt saturitatem:ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam omnes in viam suam declinauerunt vnusquisq; ad auaritiam asummo vsque ad nouissimum.* Heu speculatores literarum, diuinæ sapientiæ milites ad vos meus sermo,vbi speculationes pro veritate defendenda,vbi munitiones pro propugnandis inimicorum fallacijs, & astutijs, vbi vigiliæ,vbi fortes in vulpes reptantes latratus?quomodo canum Ecclesiæ fungimini officio?vbi pro Ecclesia labor? *disciplinam qui abijcit infelix est* inquit sapiés

Prou.3. quomodo ergo disciplinam abijcit ille cuius officium est pro ipsa quasi bonus miles laborare?quomodo non timebit generalis ducis iram miles qui in prælio arma deponit,quando insidijs& astutijs inimicus solers,ac vigilans digladiare nō cessat.Hoc attente inspexitPaulus dux maximus quando charissimo suoThimoteo ad laborem & militiam pro Christo exhortat,ne arma deponat rogat,*labora*

2.AdThimot. 2. *inquit sicut bonus miles Christi Iesu, nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus vt ei placeat,qui se probauit,nam qui certat non coronabitur nisi legitime certauerit*,quæ enim est hæc Christi militia cui adscriptus negotijs sæcularibus minime se implicare debet?D.Thom.rem attigit tripliciter militemChristi designando primo in quantum contra peccata pugnat; secundo contra errores. Tertio contra Tyrannos,duos primos notemus militandi modos contra peccata, scilicet, & errores, imo primo militandum est contra errores, qui iter aperiunt ad peccata vt enim peccatores libere peccare possint errores solent machinari. Est ergo aliquis miles Christi contra errores pugnando. Huic militiæ adscripti sunt omnes veritatis Doctores,pugnent sicut boni milites quia miles a militia sustinendo dicitur D.Thom.teste non enim debet in prælio quiescere sed continuo arma mouere quod vt recte compleat non debet se negotijs secularibus implicare, qui Deo militat.Alius est enim militiæ spiritualis, & alius militiæ corporalis finis, militiæ corporalis est,vt obtineatur victoria contra hostes patriæ, & ideo milites debent abstinere ab his quæ abstrahunt à pugna,puta negotijs & delitijs, *qui in agone contendit ab omnibus se abstinet* inquit Paulus & delicatum militem arguit Hieronymus *quid facis in paterna domo* inquit *delicate miles*, sed militiæ spiritualis finis est vt milites victoriam habeant ab omnibus qui sunt contra Deum & ita oportet quod abstineant ab omnibus quæ distrahunt à Deo;hæc autem sunt negotia sæcularia quia solicitudo huius sæculi suffocat verbum, hoc attendant

dant ſpeculatores Eccleſiæ in alta prælaturæ ſpecula conſtituti, hoc præ oculis habeant Doctores ſancti Deo militantes, hoc notent ſigno veritatis ſculpti; ſi à ſolicitudinibus ſe abſtrahunt ſæcularibus ſi ab ambitionis & auræ popularis motibus ſolerti cura deſiſtunt.

§. IIII.

NVnc reſtat vt inquirantur veritatis Doctores & magiſtri ſi tanquam boni milites ante certamen ſe præparant, ſolent enim qui ad viſibilem pugnam pergere volunt, antequam belli ſtatutus inſtet dies ſe diligentiſsime præpare, armis namq; ſe induunt, equos concendunt, aſtam vibrant & ac ſi adeſſent inimici tota ſe qua valent excercent induſtria. Nunc fugere aduerſarios, nunc inſequi conſpiciuntur, aliquando ictus intorquent, quandoq; declinant, ſicq; certamini ſe habilitant, quatenus cum præliare eos contigerit minime ſuperentur, facile enim proſternitur qui nec oneri aſueſcit armorum, nec vſu acuitur luctandi, nec oportunis armis ſe muniuit. At ſi cuncta quæ memorata ſunt ſuppetant mox pugnaturus hilareſcit, mox de victoriæ palma ſperare inchoat, & vt præfixum dimicandi tempus adueniat ardenter concupiſcit. Nec immerito, nam victoriæ ſpes plurimas vires adijcit bellatori, atq; facile ille victor efficitur, qui a ſe humano abiecto timore viriliter præliare proponit. Videamus ergo ſi ſic Eccleſiæ milites Doctores veritatis duces doctrinæ, à negotijs ſecularibus abſtracti ad prælium pro veritate ſe præparare curant, ſi armis ſapientiæ an curæ humanæ induuntur; ſi equum aſcendunt doctrinæ, an ambitionis; ſi aſtam argumentorum vibrant, an conatum pro prælaturis aſſequendis omnibus, oſtentant, quibus valent viribus? ſi armis ſe exercent diſputationum ac collocutionum de rebus Eccleſiæ & fidei? an ſi de proprijs commodis & ſuorum lucris colloquuntur? ipſi ſint iudices qui cauſam intime norunt. Hoc tamen vnum ſciant quod non eſt Eccleſiaſtici militis officium, dignitates & honores ambicioſe per vicos & plateas, aulaſq; regias hannelo maximo quærere, ſed in ſtadio fortiter, & perſeueranter dimicare, vt poſtea ad præmij aſcendat coronam, quia teſte Apoſtolo non *coronabitur niſi, qui legitime certauerit*. Decertabit ne legitime Doctor, ac magiſter, qui propria lucra ambicioſe quærit? qui tantum adulationi ſtudet, vt retia emmittat ad prælaturæ capturam? qui ad auram loquitur, vt principibus & poteſtatibus placeat? nullus hoc fatebitur Catholicus, cum Paulus conquæratur de magiſtris propria lucra & proprios honores quærentibus. Inquit enim *omnes, quæ ſua ſunt quærunt non quæ Ieſu Chriſti*, ad quæ verba Chriſoſtomus ait *quæ ſua ſunt quærunt, ideſt, iucunditatem, ac ſecuritatem* Theophilactus autem ita fatur; *propriam quietem conquirunt. & otium ſinguli in tuto, vt ſint*. Si in tuto eſt miles, ſi inquiete dux, ſi in otio magiſter, quis exponet ad pericula pectus? quis vibrabit aſtam? quis pro veritate ad arenam deſcendet? quis ſcutum apponet, & iacula emitet? quis monebit cuneos? quis pro impetu prælij manus diſponet ad pugnam? ſi qui ex officio tenentur nolunt pro veritatis tribulari ſalute? bene Anſelmus deſides & otioſos in doctrina alias ſolicitos de rebus ſæcularibus depinxit Doctores. Ait enim ad locum Apoſtoli, *quid eſt quæ ſua ſunt quærentes? non Chriſtum gratis diligentes, non Deũ propter Deum quærentes, temporalia commoda ſectantes, lucris inhiantes honores ab hominibus appetentes, & quando hæc à propoſito amantur adque propter hæc ſeruitur Deo quiſquis talis eſt mercenarius eſt inter filios non ſe computet, de talibus enim dicitur receperunt mercedem ſuam*. Nunc ergo Doctores Catholici, veritatis Magiſtri ſi filij ſapientiæ computari vultis non mercenarij ſitis ne deſcedatis à prælio, vt negotijs ſæcularibus implicemini. Si enim terga vertitis non milites, non duces, non magiſtros veritatis ſed mercenarios vos appellabo, nam teſte Domino, *mercenarius fugit quia mercenarius eſt*. Ad quæ verba Magnus Gregorius ait *fugit mercenarius ac ſi aperte dicat; ſtare in periculo ouium non poteſt qui in eo quod ouibus præeſt non*

Ad Philip. cap. 2.

Ioan. 10.

Hom. 14. in Euangelia.

oues diligit sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat, heu Prælati, heu Doctoris, & Magistri væ vobis si lucra & nō oues diligitis, si vos opponere periculis trepidatis ne terrena ammittantur cōmoda. Præestis Prælati ouibus, & ita ipsas pascere debetis moribus & sapientia; lux enim & sal Dominus Prælatos appellauit. Etiam magistri doctrina præsunt. Si tamen peste falsitatis grasante, quando sub doli inimici mendatio protecti induti nequitia, veritatis specie galeati serpentino veneno circum liniti arma nō deponunt, vt feras auertant veritatis, ipsius veritatis magistri non euigilant, ac laborant, vt boni milites, vt strenui duces sed curis secularibus implicati vires, quas pro defendenda veritate ostentare debebant ad lucra quærēda conuertunt, ad ambitionem, & honorem obtinendum apponunt, Væ ipsis mercenarijs qui proprio deficiunt officio, non quæ Dei sed quæ sua sunt quærentes. Hæc notauit D. Thom. ad locum Pauli *non quæ ad salutem proximorum sunt, & ad honorē Dei quærunt; sed quæ ad lucrum & gloriam & quæ sua sunt; hoc enim est negotijs se implicare sæcularibus militiam pro Christo maximo impedientibus.* Attendite tamen qualiter conquæratur Dominus de magistris & Synagogæ Doctoribus, *Væ vobis scribæ & pharisei hipocritæ qui circum itis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum* laborabant pharisei, mare & aridam circum ire curabant, sed vt notat Chrisostomus. *non propter gloriam Dei, vt additis cultoribus honoretur Deus, nec propter misericordiam volentes, eum saluare quem docebant; sed aut propter auaritiam, vt additis in Synagoga Iudei sacrificiorū oblatio adderetur aut propter vanam gloriā vt videatur;* hæc Chrisostomus. Sed nunc cohibebo linguam, an clamabo? clamabo equidē cū Dominus dicat ad Prophetam *clama; ne cesses; & quasi tuba, exalta vocem tuam & anuntia populo meo scelera eorum.* Nonne maximum esset scelus, & nefandum lucrum, si hodie existerent in mundo, & Ecclesia sustineret Doctores, & magistros circum euntes mare & aridam vt faciant vnum proselytum? non prædicātes, & docentes propter gloriam Dei vt additis cultoribus honoretur Deus, nec propter misericordiam volentes eum saluare quem docent, sed aut propter auaritiam vt additis christianis maior ipsis addatur ocasio lucri, aut propter vanam gloriam vt videātur? probent hoc si placet magistri mercatores, vt in partibus indiarū contigit. Quid ergo mercatura cum magisterio, quid minister Christi cum lucro? quid ministerium Christi cum mercatura Sathanæ? cum Dominus eiecerit de tēplo vendentes columbas & cathedras numulariorum euerterit? hoc declament non verbis magistri veritatis, sed sanguineis lacrimis deploret omnis Ecclesia; & quisquis Catholicus est, quisquis miles Christi contra hoc asummat arma, quia plurimum amittit Ecclesia Dei, maxima irrogatur Christo & sanctæ fidei iniuria difamatur lex Domini, cum â nouiter conuersis inspiciantur prædones diuitiarum, quos Christus constituit animarum piscatores. Et heu magistri veritatis ab horum separamini cōsortio, cognoscebiminiq; sanctitate versari, & pro Christo legatione fungi, si propter Deum, errantes corrigere & si corrigi noluerint totis viribus impugnare tentaueritis. Latratus emittite Ecclesiæ canes, non muti videamini, paulatim enim ingrediuntur vulpes, vt vineam nostram demoliantur sanctam. Si enim milites estis Ecclesiæ ab omnibus curis sæcularibus & impedimentis prælij arceamini: vt liuere pro veritate laborare possitis; alias non placebitis ei cui vos probastis, quia miles Christi deuouit se ad militandum Deo & ideo debet conari vt placeat ei cui se deuouit. Si ergo *officium prædicatorum & doctorum est officium militum* (D. Thoma docente) *in quantum insurgunt contra hostes & vitia*, non cesset ab officio quisquis in hac est designatus militia, det operam ne quid immundum, & profanum templo Dei inferatur. Generales duces exercitus Eccesiæ gerant omnium curam, prouideant, vt milites laborare nō desinant, & vt in euoluendis sacræ scripturæ ac Doctorum sacrorum doctrinis

Math. 23.

tempus

temp us vigilantes consumant, varios elaborent tractatus pestem falsitatis exterminent, infelicem lolium de area Domini purgent. Secum cogitent de vniuersorum indemnitate, clam perlustrent omnia suspecta scripta, omniq; industria curent ne falsitas caput extollat, eius intēdant arma supprimere, eneruare vires, detruncare astutias insolentemq; conculcare proteruiam vt felicissimam pro veritate possint cum suis simul militibus placidam ac lætam decantare victoriam. Indulgete magistri ignoscite Doctores zælum probate, si prudentia defecit. Valete felices & in cælesti Patria omnes (Deus faxit) vt æterna magisterij laurea coronemini.